

Nota Generales

Ceterum, si quid poetice dicendum mihi foret de Sylvio, istud quod quandoque de Plinio dictum est, ipsi applicare non dubitarem. *Quid juvat innumeris reperi soriania libris?* Unus pro cunctis *Sylvius esse potest.* Similiter omisæ sunt plerique Epistolæ Dedicatoře, quarum nempe loco novam suffici Dedi-
cationem, quæ una instar omnium esse possit. Illas tamen quas Sylvius ipse præfixerat ad Opusculum
de statu hominis post peccatum, ad Orationes Theologicas, ad Apologiam pro D. Thoma, & ad
Orationem de SS. Trinitate judicavi esse imprimentas, quod plerumque sint doctrinales, & in illis
susepti laboris singulares rationes Auctor adferat, ita ut veluti præfationum ad Lectorem vel majoris
explicationis ergo possint videri esse posita. Et quamvis ea quæ præfixit ad Orationem quartam
(quamque veluti calu reperi secundæ Editioni præfixam, cum nullam habeat prima Editio, & secundæ
Editionis post longam diligentemque inquisitionem nonnisi unum exemplar repererim, illudque in
Bibliotheca Seminarij Regij Duaci) non sit nisi nuncupatoria, quia tamen non privato aliqui, sed
Illustri Corpori, spectabilibus feliciter Viris Dominis Senatori Braniensis ab Auctore Braniensi data
est, ex ejusdem Auctoris mente fore mihi visum est, si & illa quoque imprimeretur.

Nunc de ordine quo ipsa Opuscula recenseo dicendum: Et Nota quædam Generales addenda quibus qualitercumque iuhuentur. *Generales* dico, & quæ meum præcipue in his recensendis laborem
specient, non de Auctoris doctrina decernant. Illum porrò ordinem servavi quo Opuscula scripta
fuisse aut certè mihi confitit, aut probabilius visum est, si Resolutiones alias excipias, & Ora-
tiones Theologicas tredecim ad Casuum Resolutionum pertinentes, quas tantisper loco suo movi,
ob rationes infra, ubi de iis sermo habebitur, producendas. Igitur Opuscula divisi in duos To-
mos, quod unus omnia capere non potuisset, aut certè monstruosæ molis fuisse. His istum præ-
fixi Titulum, *Operum Francisci Sylvij à Brania Comitis Sc. Tomus Quintus, Tomus Sextus;* quoniam
cum jungi ament quatuor Tomis Commentariorum ejusdem Auctoris in Summam D. Thomas, sintque
omnia ferè Opuscula scripta post ista Commentaria, convenientior mihi non occurrit titulus, quod
illos Tomos inscriberem. Primo Tomo distribui Polemica, Alcetica, Apologetica, & Theologica.
Secundo autem, Commentaria in Genesim, Exodum, Leviticum, & Numeros, quibus
plura hoc in genere non reperio scripta fuisse ab Auctore. Ad majorem etiam claritatem Opuscula
distinxii in Primum, Secundum, Tertium, &c. quamvis ab Auctore nullo numero seu ordine di-
stincta fuerint. Igitur occurrit

TOMO QUINTO

OPUSCULUM PRIMUM

DE PRIMO MOTORE.

Cujus occasio Scriptio proditur in ipso Libelli Titulo & præfatione. Hoc Opusculo veluti tenu-
tamento prolusit Sylvius in Collegio Regio Duacia dhuc Philosophia professor, & portendit quid
pro Doctrina de Gratia per se efficaci esset aliquando præstiturus. Illud oportune aliquorum magnis
conatus obiecit qui licet Censura Duacensi gradum sisteret jussi, nihilominus non omnem spem po-
fuerant persuadendi Duacensibus Theologis Doctrinam quam recentius in eam Universitatem intule-
rant, Divo Thoma omnino dissidente, esse tamen ipsi planè conformem & consentaneam. Con-
volarunt ipsi mox ad Celeberrimum Rychovium Seminarij Episcoporum Provinciæ Cameracensis
Duaci Præsidem, eaque ratione Sylvij Familiaris sui Præpositum, & de Opusculo edito graviter
questi sunt: Quibus Rychovius, pro sua qsa præstabat sapientia & humanitate, respondit breviter:
Sic etiam soles docere. Ita ad me scribit vir pius & doctus etiamnum superstes qui id ex ore Sylvij se
acecepisse testatur. Et revera sic ipsum Rychovium docuisse, patet ex doctissima ejusdem responsione
ad Joannis Deckeri de Societate Jesu Apologeticō data Anno 1609. Sed & Estium, omnesque
etiam alma Universitatis Duacena Doctores præclarissimos ita tradidisse, evidens est ex ejusdem Estij
Responso ad præfati Patris Deckeri objecta eodem anno data, & alii certissimis documentis ejus-
dem Universitatis. Porro ex isto Opusculo facile videtur esse eos esse in B. Thoma hospites & peregrini-
nos, vel etiam, ut ait, Sapientissimus P. Magister Nicolai, acris vir ingenij, ad 1. 2. q. 109. art. 1.
fronte cœco; qui physicam præmotionem Sanctum Thomam non vident agnovisse.

Sed qui hoc de arguento plura desiderat (quamquam veritatem tantum & sincerè querenti Opus-
culum istud planè sufficiat) adeat is Reverendissimum Patrem ANTONINUM MASSOULIE' Inqui-
sitorem Tololanum, & Reverendissimi Patris ANTONINI CLOCHE' totius Ordinis Nostræ Magistri
Generalis Socium dignissimum in præclarissimo Opere *de divina Motione in ordine naturali & super-
naturali* quod sub hoc titulo Operi convenientissimo (D. THOMAS SUI INTERPRES) Romæ non
ita pridem edidit, & Summo Pontifici INNOCENTIO XII. fideliter regnanti (det Deus ut peren-
niter!) dicavit. Adeat inquit Magistrum illum sapientissimum omni laude maiorem (qui nuper
Episcopales Insulas sibi pro parte insigni Ecclesiæ Romana præda, adducto nempe ad Ecclesiam Ca-
tholicam Rabinorum, totius Gentis Judaicæ principali & primario cum tota ejus familia, & pro
aliis ejus ingentibus meritis à Serenissimo Magno Duce Etruria oblatas, & ferè invito impositas,
confanti raraque humilitate reculavit) & inveniet isto in Opere quidquid desiderari potest ad illius
gravissima difficultatis plenissimam resolutionem.

Irrefut me absente in hanc Editionem, postremis etiam editionibus communis hic error, quod anno-
tatio nescio cuius, appolita tamen & solida, articulo 5. partis 3. adjuncta sit codem caractere & teno-
re quo textus Auctoris, cum tamen diverso caractere, additoque signo, imprimi debuisset, aut potius
in his Annotationes nostras rejici. Errorem istum emendare non potuimus, nisi prout in ipso loco vi-
dere